

ceptorias, baiullias, cameras sive alia loca pia dicti ordinis in partibus Bohemie, Moraue, Polonie, Slesie per hereticos occupatas et occupata, detentas et detenta recuperaverit, volumus, quod easdem sive eadem teneat et possideat cum omnibus eorum membris, iuribus et pertinentiis, redditibus et proventibus quibuscumque absque responsionum solucione, quamdiu vixerit in humanis, et tenore presencium concedimus facultatem. Volumus etiam et concedimus auctoritate prefata nobis, ut premittitur, attributa auctoritatem et facultatem, quod ipse frater Wenceslaus in omnibus et per omnia exerceat [!] in dicto prioratu suo, eisdem membris et locis et in preceptoriiis, baiullis^e et aliis locis piis dicti ordinis secundum, quod sui predecessores^f hactenus consueverunt, dum tamen hec secundum statuta et stabilimenta magistrorum et conventus dicti ordinis fiant et exequantur. Nolentes tamen solucionibus responsionum, mortuorum, annatarum et aliorum iurium communi thesauro debitis et debendis per hoc posse quomodolibet derogari, nisi ut supra declaratur in aliquo. Inhibentes sibi nichilominus in virtute sancte obediencie, ne pretextu huiusmodi concessionis aliqua de bonis, rebus, iuribus et redditibus tam predicti prioratus quam dictarum preceptoriarum vendat, det, obliget, impignoret, alienet, distrahat seu in emphitheosim pro pecunia concedat aut quocumque alio colore quesito extra religionem nostram transferat absque licentia speciali dicti reverendissimi domini magistri et conventus. Et si, quod absit, contra inhibitionem nostram huiusmodi aliquid vel aliqua committere vel operari ipsum contingat, illud et illa extunc prout exnunc et exnunc prout extunc cassamus, annullamus, decernimus irritum et inane nulliusque penitus existere efficacie, roboris vel momenti, committentes eidem insuper fiducialiter circa regimen et administracionem dicti prioratus et omnium premissorum cum premissis condicionibus tum etiam circa bonorum et iurium eorum deffencionem et recuperacionem tam in agendo quam deffendendo prefata nobis et alia data auctoritate totaliter vices nostras, ymmo verius supradictorum magistri et conventus. Quocirca universis et singulis fratribus preceptoribus et baiullivis et aliis fratribus, confratribus, sororibus et donatis sub virtute sancte obediencie ac hominibus et vassallis quibuscumque aliis supradicto reverendissimo domino magistro et dicto ordini subditis in dicto prioratu constitutis, presentibus et futuris, sub sacramento fidelitatis et homagii, quo supradictis domino magistro et conventui indissolubiliter sunt astricti, precipimus et mandamus harum serie districte, ut eidem domi-

e) so für baiulliis

f) de über der Zeile